

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

LVIII.

FRIDERICI I. IMP. DIPLOMA PRO ECCLESIA
INTERLACENSI.

ANNO MCLXXIII.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperiali convenit excellentie, illorum petitioni maxime condescendere, qui pauperem vitam eligentes, religionis cultui operam dantes, idcirco bona temporalia condemnantes, ut sibi mereantur celestia, quorum pie intentioni cooperatores esse volentes, tam presentibus quam futuris notificamus; Qualiter nos devote petitioni viri religiosi Theoderici prepositi aquiescentes, nec non etiam consilio curie nostre & primatum, Ecclesiam sancte Marie virginis, sitam in Lausanensi Episcopatu in comitatu Burgundie, Interlacus Madon vulgari-ter appellatam, sub nostre tuitionis Mundiburdio suscipimus, suscepte-que nostra auctoritati hanc contulimus libertatem, ut ab omni investitura violenta persone cujuslibet, & exactione immunis, soli Deo libere atque quiete serviens, domum orationis se solummodo esse recognoscat. Hujus autem domus fundator Seilgerus de Oberhoven, cum ceteris boni propositi cooperatores existens, Canonicam ibidem vitam secundum regulam sancti Augustini instituit, rogans eam dedicari in honorem matris Domini & omnium Sanctorum. Volentes itaque firmum & indivulsum esse bone institutionis propositum, precipiendo jubemus

ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, nulla denique magna parvave persona prenominate Ecclesie fratres, vel res ad usus eorum in presenti contraditas, vel qui in posterum eidem Ecclesie contradite fuerint, divestire, molestare, inquietare presumat, sub eadem etiam tuitione regie autoritatis, fundum in Grindelwald a Schoneicca usque ad Alpigulum & ad glaciem inferiorem ad quartam partem fundi in Iseltwald prius quidem regno pertinentes, quos predecessor ac patruus noster Cunradus rex felicitis memoriæ a Duce *Cunrado de Züringen deliberato ipso consentiente* prenominate Ecclesie legitima Donatione contradidit, indissolubiter consignamus, confirmantes ut *advocatiā a prefato Duce retentam* nullus suscipiat nisi quem consensus fratrum tali conditione eligat, ut penitus ea careat, si eis malum aliquod ab eo illatum infra terminum 40. dierum secundum voluntatem eorum & *rectoris Burgundie* emendatum non fuerit. Hoc etiam edicto Imperiali statuentes ne aliquis successorum nostrorum regum, seu Imperatorum vel aliqua quævis persona hoc nostræ donationis statutum irritare presumat. Super hæc si quis fratribus prefate Ecclesie aliquid agrorum, vinearum, Alpium, pratorum, seu aliarum rerum ad honorem regni pertinentium & absque tributo manentium donaverit, a nobis in Domino Jesu Christo eorum religio dono datum habebit. Preterea decernimus ut confratres ibidem Deo fervientes, sicut liberam de constituendo sibi proposito habent electionem, ita etiam advocatum quem voluerint, eo pacto & jure assumant, ne advocatiæ ad heredes advocati traducatur, & tali electione a proposito investitus, a regali, seu imperiali munificentia, sicut justitia exigat, regali banno investitur, & sicut prescriptum est, per omnia de

priori Advocato, sic erit & de isto. Si quis autem hujus nostræ confirmationis statutum infringere tentaverit, 100. libras auri purissimi componat, quarum dimidiam partem Camere nostre, reliquam vero prefato Monasterio persolvat. Et ut hæc verius credantur, & omni deinceps tempore inviolata servantur, impressione sigilli nostri corroboramus & testes adnotari, sub quorum presentia hæc acta sunt, fecimus. Quorum nomina sunt hæc. Ludovicus Basileensis Episcopus, Diethelmus Augiensis, Conradus Morbacensis, Abbates; *Berchtoldus Dux de Züringen*, Rudolfus Comes de Fullendorf, Artmannus Comes de Chyburg, Uldricus frater ejus, Waltherus de Eschybach, Waltherus de Ibere, Waltherus de Hunberg, & alii quam plures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imp. invictissimi. (Locus monogrammaticus.)

Ego Godefredus Cancellarius vice Christiani Maguntuni Archiepiscopi, Archicancellarii recognovi.

Acta sunt hæc Anno Dominice incarnationis M. C. LXXIII. Indictione VI.

Regnante Domino Friderico Romanorum Imp: gloriosissimo Anno regni ejus 21. Imperii vero 19.

Data apud Castrum Lenceburg X. Kal. Martii. feliciter Amen.